

Fluent.

10. — In vigilia Pentecostes, in introitu Missæ cantantur hæc verba : *Effundam super vos aquam mandam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* S. Leo quoque de eodem festo tractans, *Serm. de Pent.*, ita scribit : « Ab hoc die imbres « charismatum, flumina benedictionum, omne « desertum et universa aridam rigaverunt. »

11. — Porro aquæ specialis est proprietas, tam illius, quæ ex flumine, quam quæ ex fonte hauritur; sive etiam ejus quæ pluviam de celo labitur, vel cujuscumque alterius generis, quod indifferenter super terram dimanet, omnemque plantam sine ullo discrimine fecundet; eodem quoque modo in quacumque animam mystica hæc Spiritus Sancti aqua effunditur, eandem protinus sanctorum fertilem efficit, idque sine ulla personarum acceptione, sive discrimine. Unde Rupertus Abbas, *lib. VII in Joan.*, dicit : « Humana anima dicitur, « videlicet pro similitudine, quia sicut aqua terram « irrigat, et infusione competenti germinare eam « facit; sic Sancti Spiritus gratia substantiam hu- « mane anime per semetipsam inopem et sterilem « donorum suorum fluentis necessariis irrigat et « beneficio sua visitationis infusam fide et bonis « operibus fecundat. »

12. — Chrysostomus, per hanc affluentiam, admirabilem faciendam et eloquentiam, quæ specialiter Evangelii ministris a Spiritu Sancto communicatur : « Salientis pro inundantis positum est, quod « facile quis deprehendere poterit, si Stephani « sapientiam, Petri linguam, Pauli vim considera- « verit. »

13. — Venerabilis Beda, et cum ipso plures alii, scribant quod cælestis Magister noster per verbum *Fluent*, insinuare voluerit quod dona et gratiæ, quas in nobis ab hoc cælesti fonte recipimus in nobis nequaquam sistere, sed in alios opera nostra interveniente redundare debeant : « Quid est fons? « vel quid est fluvius, qui manat de ventre homi- « nis? Benevolentia, qua vult consulere proximo; si « enim pulet, quia quod sibi bibit, sufficit, arescit, « et non fluit aqua viva de ventre ejus; si autem « proximo festinat consulere, ideo non siccatur « quia manat. »

14. — S. Thomas eodem fere modo scribit : « Qui ergo bibit, ita quod sibi soli proficit, dona « gratiarum, quæ per flumina signantur, non fluent « aquæ vivæ de ventre ejus; sed qui proximo festi- « nat occurrere, » adducit locum illum S. Petri, *1 Epist.*, iv, 10 : *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam ministrans.*

15. — Hugo Cardinalis illud Sapientis monitum

adducit dicens : *Bibe aquam de cisterna tua, et fuenta putei tui, deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.* Lucas Brugensis ad vocem *Flumina* sese reflectens, ita scribit : « Infundam in « animam ejus dona, charismatiquæ Spiritus Sancti « tanta copia, ut non solum intus eum in mente « reluciant, verum etiam foris exundent in omne « genus sanctæ perfectionis, nec tantum ipsum « ferant in vitam æternam, verum etiam aliis « pluribus cum illo in vitam æternam trahendis « sufficiant, quemadmodum flumina vehementi im- « petu delata, occurrentia omnia secum rapiunt ac « trahunt. »

16. — Salmeron hanc inde moralitatem deducit : « *Fluent*, sive current, non ait stabunt, quia « non progredi in via Dei, regredi est. » Aqua firmiter subsistens, quæ non fluit, sed stagnat, non solum corrumpitur, sed venenosa etiam exinde animalia generantur; eodem modo qui donis, gratiis et virtutibus a Spiritu Sancto receptis non cooperantur, maximo sunt expositi periculo, ne per suam desidiam et tepiditatem, omnigenis inordinatis affectibus vitis in semetipsis locum indulgeant.

Aque vivæ.

17. — Chrysostomus, *Hom. i. in Joan.*, ait : « Spiritus enim gratia cum menti illapsa est, « eamque irrigat, omni fonte uberius scaturit, « nunquam deficit, nunquam vacuat. » Salmeron considerat, quod Christus gratiam aquam vivam appellavit : « Quia conjungitur cum fonte ipso « Christo et Spiritu Sancto, quia semper ad bona « opera impellit. » Lucas Brugensis dicit : « Viva « aqua dicuntur dona a primo fonte et auctore « Spiritu Sancto, qui cum supple natura sit vita, « etiam dona sua vivifica reddit ejusmodi, quæ « possessorem efficiant justum et Deo gratum in « hac vita, et perducat ad vitam æternam. » Eandem quoque expositionem Hugo Cardinalis his verbis adhibet dicens : « *Aquæ vivæ*, id est, vivere « facientis hic per gratiam, in futuro per glo- « riam. »

VERSUS 39.

Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

1. — Flumen istud Spiritus Sancti adeo copiose in Judaismum in cenaculo Sionitico congregatum inundavit et superflavit, ut non solum Apostolos, omnesque alios ibi congregatos fideles suis adimpleverit, verum etiam impetu suo multa credentium millia post se traxerit, *Act.*, ii, 41 : *Apposita sunt in die illa animæ circiter tria millia.*

FERIA TERTIA PASSIONIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. VII, VERS. 1

1. Ambulabat Jesus in Galilæam; non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.
2. Erat enim in proximo dies festus Judæorum scenœpogia.
3. Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera, quæ facis.
4. Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsam mundo.
5. Neque enim fratres ejus credebant in eum.
6. Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.
7. Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.
8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.
9. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa.
10. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.
11. Judæi ergo quærebant eum in die festo, et dicebant: Ubi est ille?
12. Et murmur multum erat in turba de illo, quidam enim dicebant, quia bonus est; alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.
13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.

VERSUS 1.

Ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.

Ambulabat Jesus in Galilæam.

1. — Evangelista in principio capituli hanc dictionem premitit : *Post hæc ambulabat*; quam dictionem Toletus considerans scribit : « Post hæc quæ « Dominus operatus est miracula, et post altissi- « mum sermonem de ejus carne et sanguine in « cibum et potum vite æternæ dandis. » Filius enim Dei tunc maximas ab hominum malignitate recepit injurias, quando se erga nos summe exhibuit beneficium : *In qua nocte tradebatur, accepit panem*, etc. Theosaurus omnium, quos nobis in Ecclesia reliquit, pretiosissimus, tunc precipue ab eo nobis est collatus, quando homo ad mortem illi machinandam armatus erat.

2. — Salmeron ponderat verbum illud, *Ambulabat*: « Verbum *ambulabat*, Græce, *versabatur*, sive « conversabatur, ut intelligas eum otio deditum « non fuisse, sed salutem hominum semper, quod

« ad se attinet promovisse. » Albertus Magnus ait : « Ambulabat Jesus auctor salutis, ubique omnibus « salutem ingrens, in Galilæam, quia facilis cre- « debant, quia inde plures discipulos vocaverat. » S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*, Galilæos homines valde simplices fuisse existimat : « Galilæi « erant homines simplices, et ideo opera Christi « non sic calumniabantur, et ideo Christus eos « multipliciter honoravit, scilicet beneficio sue « conceptionis, et suæ nativitate, et singularitate « vocationis. » Primi enim qui ad Apostolorum tum vocati, Galilæi fuere, unde omnes Apostoli hoc titulo ab Angelo fuere appellati : *Viri Galilæi quid stans aspicientes in cælum?* Prima miracula item in Cana Galilææ patravit; ac demum hanc Provinciam pariter eligere voluit, ut in ea, post resurrectionem suam visibiliter apprensus, discipulis suis se manifestaret.

3. — S. Thomas, *in Joan.*, dicit : « Ideo autem « Dominus in Galilæa frequentius moratur, ut « ostendat nobis transmigrandum esse de vitis ad « virtutes, » siquidem *Galilæa* idem significat quod *Transmigratio*. Hugo Cardinalis dicit : « Galilæa, « quæ interpretatur rota, vel transmigratio, signi- « ficat ærumnas et miserias, in quibus rotantur et

« affliguntur in hac vita sancti, qui in ea sunt « exules et peregrini. »

4. — Theophylactus considerat, quod ex quo tempus passionis et mortis suae nondum advenerat, in manus inimicorum suorum nondum voluerit tradi : « Vannm et supervacaneum erat in medio « inimicorum suorum versari et majoris semper « rabiei illis auctorem fieri. » Quae charitas nos docet, ut proximis nostris omnes e medio tollamus peccati et offensa Dei occasiones, quando id aequae fieri potest.

Non enim volebat in Judaeam ambulare.

5. — Interlinearis dicit : « Non tamen timens, « quia habet potestatem, sed infirmis dat exem- « plum, ne eis latibulum obijciatur. » Beda addit : obijciatur crimen, processit in capite, quod in membris confirmaretur. Ipse quidem inter Judaeos, ut Lyranus inquit, illasus demorari poterat et tamen ante mortem suam se ab illis absentare voluit : « Ostendendo in se veritatem humanae « naturae et quod licitum erat fidelibus suis ali- « quando persecutionem fugere. » Ille idem sensus ex sequentibus D. Chrysostomi verbis elicitur, *Hom. xviii in Joan.*, dicens : « Quae secundum huma- « nam imbecillitatem a Christo facta sunt, non « tantum incarnationem confirmant, sed etiam ad « virtutem institunt; nam si omnia tanquam Deus « fecisset, quid scire potuissemus in humanis rebus « incidentes quid facere nos oportet? » Porro divinitatem suam demonstravit, dum se in medio inimicorum suorum illasum, illosque acriter objurando cum inexpugnabili securitate et libertate intrepidum exhibuit; hominem se nobis similem ostendit, inquit Lucas Brugensis, quando se antecederet latibula quaerere et timore percussum esse demonstravit : « Quod in medio insidiantium non « est comprehensus, invincibilem se, atque inexpu- « gnabilem significavit et quod delituit, incarnatio- « nem certo confirmavit. » S. Thomas in hoc loco quaesito cuidam respondet, quod moveri poterat, videlicet, cur omnipotentia, quae a suis se persecutoribus defendere poterat, nihilominus ipsdum facere non voluerit, sed potius ad tempus ab illis recessit, dicit igitur Angelicus Doctor : « Deus « erat et homo; et ideo virtute divinitatis poterat « et non laedi a persecutoribus, sed haec noluit « continuo facere, quin sic declarata fuisset ejus « divinitas, quod tamen humanitas venisset in du- « bium. » Abscondit se igitur, sequae ex timore ne inimicos suos ad rabiem provocet, inque fauces illorum sese ingerat, ab eorum se conspectibus subducit, ut verum se hominem esse demonstrat, ex alia vero parte ut se verum esse Deum ostendat, per medios enses hostiles securus et illasus pertransit, invisibilem se reddendo.

6. — « Non mori metuens, » inquit Rupertus

Abbas, *lib. VI in Joan.*, « sed sicut ait Psalmista, « *sol cognovit occasum suum.* » Et ideo nemmo sibi persuadere Dominum nostrum Judaeam mortis metu periculum declinasse, qui tanta cum aviditate ad mortem anhelabat, inquit Salmeron, quique vite et mortis Dominus erat, praeterquam quod violentiam ipsorum pluribus utique modis evadere poterat; videlicet : « *Primo*, signis ostensis. « *Secundo*, « factus invisibilis. « *Tertio*, timore turbae injecto in « hostes suos. « *Quarto*, sermone corda mutando, ut « ministrorum volentium eum comprehendere. « *Quinto*, divinitate majestatis ostensa, ut fecit « ejiendo ementes et vendentes de templo. « *Sexto*, « fugiendo ut homo. »

7. — S. Augustinus, *tract. xxvii in Joan.*, praeter ceteris hujus e Judaea per aliquod tempus facti successus mysteria fuisus detegit; dicit enim : « Quando « latuit ut homo, non potentiam perdidisse putan- « dus est, sed exemplum infirmitatis praebuisse; » suis namque discipulis, aliisque sequacibus exemplum dare voluit, ex quo se in casu quo fidem protestandi necessitas non urget, absque ulla ignavia aut pusillanimitatis nota fugere et occultare posse discerent : « Infirmitati nostrae praebat exem- « plum, non ipse perdidit potestatem, sed nos- « tram consolabatur fragilitatem. »

8. — Salmeron Salvatore Judaeam ex humilitatis instinctu declinasse autumat, ut eandem suo exemplo animis quoque nostris insinaret : « Ut humili- « tatis praebat exemplum, ut fortior, ditior, et « nobilior discat cedere infirmiori, et servet illud « Apostoli : *Non vos defendentes, charissimi, sed date « locum vix.* »

9. — Idem quoque Auctor aliud quoddam morale motivum considerat, dicens, id Christum fecisse, « Ut doceat fugere incredulitatem et malam socie- « tatem, et maxime eam, quae quaerit occidere « Jesum in nobis, id est, salutem extinguere. »

Quia quaerebant eum Judaei interficere.

10. — S. Cyrillus, *lib. IV in Joan.*, ait : « Sed « magna utique perversitatis accusari Israelitas « inde arbitror, quod salius ille existimet, apud « alienigenas reperiri, quam cum Judaeis versari, « quod Propheta quidem Jeremias, *xxi, 7*, praedixit « his verbis : *Dereliqui domum meam, dimisi haereditatem meam, dedi animam meam dilectam in manus inimicorum ejus.* Christum enim persecutorum « impietate extorrem fieri et ad Galileas migrare, « quid est aliud obsecro, quam tradere animam « suam in manus inimicorum ejus? » Salmeron ait : « Mirae erant ingrati, volentes illi mortem « infligere, qui venerat illis dare vitam. »

11. — Observat hoc loco Salmeron Judaeos ad machinandam Christo mortem illa praecipue temporis circumstantia seu conjectura usos fuisse, quo ipsam a multis derelictum esse intellexerant :

« Forte audierant discipulos scandalizatos et eum « deseruisse, ac proinde sumpserunt occasionem « necem designandi; » in precedenti namque capite, postquam de ineffabili Eucharistiae sacramento, in quo se ipsum illi in cibum dare decreverat, disseruisset, multi ex verbis ejus scandalizati recesserunt ab eo.

12. — Hugo Cardinalis in sensu morali ita scribit : « Judaea interpretatur glorificatio et significat « adulationem, sive curiam principum, ubi sunt « adulationes. Bonum est ergo homini quaerenti « salutem, ut magis quaerat rotam tribulationis, id « est, Galileam, et dejectionis, quam Judaeam adu- « lationis. »

VERSUS 2.

*Erant enim in proximo dies festi Judaeorum
Scaenopogia.*

1. — Celebrant diem festum, magnam solemnitatem, » inquit Rupertus Abbas, *lib. VI in Joan.*, « veluti reminiscences beneficia Domini, qui Domini nati occisuri. » Tabernaculorum namque festum erat, quod solidis septem diebus durabat.

VERSUS 3.

*Dixerunt autem ad eum fratres ejus : Transi hinc,
et vade in Judaeam, ut et discipuli videant opera
quae facis.*

Dixerunt autem ad eum fratres ejus.

1. — S. Thomas, *in Joan.*, dicit, quod per fratres cognati ipsius intelligantur, qui eum ex parte Virginis sanguine proximo contingebant : « Hæc enim « est consuetudo Scripturae, consanguineos appel- « lare fratres; » at vero quia nonnulli sanctissimae Matris ejus cognati Apostoli erant, videlicet, Jacobus, Joannes, Judas Thadæus et Jacobus Minor, ideo nequaquam hocse de numero fratrum illorum fuisse credendum est, quia ut Salmeron observat, hi paulo ante per os S. Petri ad eum dixerant : *Quo vimus? Verba vite aeternae habes :* « Fuerunt ergo alii pro- « pinqui ejus, qui Christum non diligebant, » et tamen fratres ejus ob propinquitatem dicuntur. Sic S. Paulus dum scribit, *Rom., ix, 3 : Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, de cognatis suis, imo de universis Hebraeis intelligendum venit. Ceterum quod verba hæc nec de Apostolis, nec de septuaginta duobus discipulis intelligi possint, ex eo quoque deducitur, quod, ut Toletus advertit, hi fratres non credebant in eum, cum tamen praedicti paulo ante professi fuissent, dicendo : *Nos credimus et cognovimus, quia tu es Filius Dei.**

Transi hinc, et vade in Judaeam.

2. — Euthymius intentionem illorum pessimam fuisse existimat, utpote qui eum in Judaeam veluti

ad macellum destinare moliebantur : « Finis eorum « pravus erat, ab invidia procedens; conabantur « siquidem illum in Judaeam pellicere, ut ab illis « occideretur, qui eum quaerebant interficere. » Hanc tamen opinionem Jansenius minus probabilis esse censet, dum ait : « Non id verisimile esse « potest; » et ideo finem ab iis intentum et ab Evangelista expressam detegit, dicens : « Sed quod « humanis affectibus obnoxii partim judicarent « illum glorie avidum, sed tamen sublimidum, « atque ob id relicta Judaea latitare in Galilea; « unde freti propinquitatis jure, confidentius et « contemptius quam par erat, eum admonerunt; « partim quod cuperent ex consanguinei operibus « suam gloriam majorem fieri; » quorum temeritatem et arrogantiam S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*, hisce verbis reprehendit : « Nota praesumptionem; quia Christum volebant docere « vanitatem; quia volebant de Christi operibus « vane gloriari, imo ipsum ad vanam gloriam « inducere; temeritatem iudicii; quia non solum « ad vanam gloriam eum inducebant, verum appete- « re vanam gloriam judicabant. »

3. — Lucas Brugensis talem hanc de re discursum instituit : eum enim hi Christi cognati, multos in Judaea esse scirent, qui in illum crederent, etque veluti verum Messiam venerantur; ex alia vero parte similiter illis perspicuum esset, ipsi hunc de se conceptum habere, atque ut alii ipsum talem esse crederent, miracula passim edere : « Ipsi etsi maxime desiderant id verum « esse, ut quod ad honorem et commodum ipsorum « plurimum facere posset, persuasi tamen, nun- « quam publice recipiendum esse pro Christo, nisi « accederet Scribarum et Principum hac de re judi- « cium et consensus, urgent ut Jerosolymam, ubi « illi agebant, proficiscatur et sua illic miracula « edat, si forte illi miraculis moti Christum esse « declarent et ut hujusmodi recipiant. » Toletus locutionem in *Judaeam*, ponderans inquit : « Ubi « templum, ubi sacerdotes, ubi legis doctores. » Salmeron pariter ita scribit : « In Judaeam florentissimum regni partem, et Judaicae gentis caput « est, et in medium hominum lucent, ubi sunt doctis- « simi, et religiosissimi sacerdotes, et nobilissimi « tum Judaei, tum Romani Principes, quibus si per- « suaseris, te e caelo venisse, facile et nos crede- « mus; si tuam doctrinam receperint et nos susci- « piemus. Tales sunt etiam hodie multi, qui ut « arandines vento agitate nihil aliud quam quod « magnates credunt, sive bonum sive malum, « etiam si aliud persuadeat conscientia. »

Ut et discipuli tui videant opera quae facis.

4. — Albertus Magnus ad hoc se reflectit, quod Saluator noster in Paschate praecedente paucis mensibus ante nonnullos discipulos, qui ab ipso recesserant,

serant, perdidit; ideoque dicit: « Et hoc quaedam « minoratio honoris esse videbatur et ideo provo- « cabant, ut illum honorem vellet recuperare, qui « si discipuli tui vera opera tua, quae de te dicun- « tur, viderent, non recederent; » unde dicere vo- luisse videntur, inquit Salmeron: « Oculle hic « operaris, quae si in publicum ederes, ad te redi- « rent. » Dionysius Carthusianus in multis locis devotos Christi discipulos fuisse dicit, tametsi Christum personaliter et aperte non sequerentur et de his cognatos ejus locutos fuisse, non vero de Apostolis; tales autem erant v. gr. Lazarus, Gamaliel, Nicodemus et alii similes.

5. — Toletus hosce cognatos Christi, ideo illum ad patranda Hierosolymis miracula existimasse dicit, ut experientiam facerent, an vere talis esset, quem se esse declarabat: « Eo animo, ut cer- « tiores fierent, an is esset vere Christus; in Jeru- « salem enim erant Pharisei, legis Doctores et « periti Scripturarum, ac Principes Judaeorum, qui « rectum et legitimum judicium hujus rei facere « posse videbantur. »

6. — Plurimum etenim illorum intererat, quod Christus tanquam verus Messias acceptaretur ab his, et passim declararetur, sciebant enim, quod tanquam proximi Salvatoris consanguinei in majori apud omnes futuri essent honore, atque ad primos honores exaltandi, siquidem opinio vulgaris inter Judaeos erat, quod Christus temporaliter regnaturus esset. « Ex factis ejus, » inquit Lyranus, « volebant « reportare gloriam mundanam. » S. Thomas, in Joan., ait: « Volebant captare gloriam de honore « mundano, qui Christo exhiberetur a turbis et « ideo inducebant eum, ut faceret opera sua in « publico; » maxime quia tunc major quam aliis temporibus concursus erat, siquidem ad Tabernaculorum festivitatem, ex variis provinciis varii ad templum concurrerant.

7. — « Gloriam hujus mundi amantes, » inquit Rupertus Abbas « et veram caelestis hominis glo- « riam suo sensu terreno metientes, vanum illi « dilatandae gloriae dabant consilium. » Haec enim sunt quae parentes communiter dare solent consilia, ad hoc, ut per illos familiam suam per gloriam mundanam exaltare, isque magnos in saeculo honores comparare valeant. Unde S. Bonaventura ait: « Patet ex dictis, quae et qualia appetunt fratres et « cognati suis cognatis, optant in eis excellentiam « temporalem, saecularem apparentiam et huma- « nam gloriam, non propter verum amorem eo- « rum, nec propter divinum honorem, nec propter « animarum salutem, licet hoc praetendant ali- « quando, sed propter propriam excellentiam et « gloriam, et ideo cavendum ab eis, nec assentien- « dum consiliis eorum. » Motivum igitur eorum nequaquam spirituale erat, non movebantur zelo honoris et cultus divini; neque enim eum exhorta-

bantur, ut abiret Hierosolymam ad concelebrandam festivitatem, ad sacrificia offerenda, ad faciendam orationem, sed ad acquirendum sibi per miracula et sapientiam suam plausum et existimationem apud homines: « In hoc se produnt, » inquit Salmeron, « tentatores Dei, incredulos, amatores glo- « riae humanae per Jesum, avaros etiam, nam pro- « habile est eos aliquid emolumentum sperasse sibi « obventurum ob miracula Christi, sperabant etiam « partem famae et claritatis ad se, tanquam ad con- « sanguineos perventuram. »

VERSUS 4.

Nemo quippe in occulto quid facit et quaerit ipse in palam esse; si haec facis, manifesta te ipsum mundo.

Nemo quippe in occulto quid facit.

1. — Quod idem est, ac si dicerent, quisquis applausum ambit et gloriam in mundo desiderat, prodigia et miracula sua non in privato, sed in conspectu omnium edere debet.

2. — Quibus quidem verbis veritatem enuntiarunt, sed perversa intentione, inquit Lucas Brugensis, siquidem, Tobit, xii, 7, dicitur: « *Sacra- « mentum Regis abscondere bonum est, opera autem « Dei revelare et confiteri honorificum est; nec Jesus « ipse voluit opera sua occultata esse; sed carnaliter « consulat, non tam gloriae Dei quam proprii « honoris studium. » Finis ipsorum non erat, ut Deus in miraculosis Filii sui operibus glorificaretur, sed oculum suum in solum honorem et utilitatem, quae inde in ipsos resultabat, directum habebant. Unde Albertus Magnus ait: « Per facta « Domini volebant magnificari. »*

3. — Cajetanus dicit ipsos Salvatori, ut in Judaeam se reciperet, persuasisse ad hoc, ut miracula ibidem operando sequaces et adherentes sibi conciliare, seque hoc pacto et suos a persecutoribus liberare posset: « Nullus enim quaerens liberari a « persecutionibus, facit miracula sua in occulto, « sed in publico, ut sic visis miraculis habeat fau- « tores et liberetur a timore persecutionum. » Nimirum ipsum imminetia mortis suae pericula fugere supponebant, ac proinde ei persuadebant, ut sequaces et fautores sibi compararet, ut haec ratione se tanto facilius defendere posset; idque sibi tanto magis persuasum habebant, quia procul a Judaea remanebat, cavebatque ne suum eo pedem inferret: *Non enim volebant in Judaeam ambulare.* Erat et alius error, in quo ipsi fundebantur, quia scilicet miraculorum quae in Galilea eadebat, famam in Judaeam minime pervenisse existimabant.

4. — S. Thomas dicit: « Quasi dicant: Tu dices « te facere miracula, sed facis in occulto et hoc ex « timore, alioquin iras in Jerusalem et faceres ea « ibi coram multitudine. »

5. — Rupertus Abbas dicit finem a Christo intentum longe alienum fuisse ab eo, quo cognati ipsius eum duce existimabant; Christus enim non ab hominibus claritatem accipere, sed hominibus claritatem dare volebat, non hominibus placere, sed homines ad placendum Deo erudire volebat.

6. — S. Thomas quoque eandem delegit intentionis perversitatem; siquidem Filium Dei vanitatis et glorie mundanae affectu moveri credebant: « Quasi dicant: Tu quaeris gloriam de his quae « facis, et tamen propter timorem abscondisti. Hoc « est proprium malorum, ut credant alios similes « eis animi passiones habere; vide quam irreveren- « ter praesentia carnis Verbum caro factum argue- « bat. »

Si haec facis, manifesta te ipsum mundo.

7. — Antea ipsi conati fuerant persuadere, ut Hierosolymam abiret, ibidemque miracula patrando sequaces sibi et fautores adscisceret, ut eorum ope et subsidio a suis se persecutoribus liberare posset, nunc cum ad mundanam sibi gloriam comparandam exhortantur: « Manifestationem in Judaea, » inquit Cajetanus, « appellant manifestationem « mundo, tum quia ibi erant ex omni natione « mundi propter templum, ad quod confluebant « Israelitae ex omni parte mundi; tum quia ibi « erant Principes Sacerdotum et Scribae, et summa « totius populi Israel capita. Ibi erat etiam Caesaris « nomine Praeses, quo mediante poterat manifes- « tari Caesari, ac per hoc, mundo. »

8. — Toletus melius de illis sentit, scilicet, quod neque illum ad mundi gloriam consecrandam existimulari voluerint, neque illum ad hunc finem miracula sua patrare crederint; « sed illos, quod « verum est, hac in parte sensitisse et protulisse; « Christus enim ab hominibus nosci et credi vole- « bat, quia id ad eorum salutem necessarium erat, « ut tanquam verus Christus recogniperetur, idque « fratres sciebant; non enim ignorabant Christum « suis signis se esse Messiam ostendere et ut talem « recipi voluisse; neque hoc ambitioni tribuebant, « sed quod ipse existimaret eam cognitionem esse « necessariam hominibus. Dicunt ergo fratres: Si « tu quaeris ab hominibus recipi et coli tanquam « Christus et Messias, fac tua opera loco et tempore « celebri, ut omnibus nota sint, ita enim futurum « est, ut Messias habearis. »

9. — Considerabilis hoc loco est dictio illa, *si haec facis.* Nam Albertus Magnus dicit: « Hoc sub « dubitatione proferunt; » multi namque inter ipsos etiamnum erant, qui eum in virtute demonis per artem magicam miracula patrare existimabant et ideo dicere voluerunt: Quod si admiranda opera tua, quae facis, in qualitate miraculorum vere subsistunt, fac ut mundo manifesta evadant; nam *Ezech., xx, 32: Sapientia abscondita et thesaurus in-*

visus, quae utilis in utrisque? » Putabant enim, « quod locus et favor mundi, omnis esset fractus « virtutum et miraculorum suorum, quod quidem « penitus falsum est; ad Gal., i, 10: *Si adhuc hono- « rabilis placerem, Christi servus non essem. Ps. lxi, « 6: Qui hominibus placuit, confisi sunt, quoniam « Deus sprevit eos. »*

10. — Finem hinc verbis manifestarunt, quod in hac exhortatione habebant, qui Christo manifestus fuit: « Novit intentionem fratrum, quod non invi- « tarent eum ad ascendendum in Jerusalem et ad « signa illic faciendae ex devotione, sed vanitate, et « scilicet ipse Jesus eorum cognatos et ipsi propter « eum, tanquam cognati ejus, humanam laudem, « favorem et commodum ex perpetratione miracu- « lorum consequerentur. »

11. — Salmeron dicit, quod sicut hi cognati humanam gloriam ambiebant, ita quoque Filium Dei eundem sensum hac in parte habere existimav- rint: « Ex seipsis Christum metiebantur, quem pu- « tabant eodem morbo laborare; » adducitque illum Ecclesiastici, x, 3, textum: *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat.* Et vero pessimum hoc consilium ab aliis, quam a cognatis derivari non poterat, quia inimici hominis domestici ejus; ac proinde Evangelista subjungit, quod *non credebant in eum.* Mundus eorum actionem, quae a servis Dei sunt, competens iudex esse nequit: *Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus, multo minus ea quae Deum ipsum immediate spectant: Mandus eum non cognovit; mundus in multoquo positus est; si mundus vos odit, inquit ad discipulos suos, scitote, quia me priorem vobis odio habuit;* ac proinde sanius futurum erit consilium, ut quis sibi a mundo caveat, ab illo se subducet et abscondat, utpote qui Dei, Evangelii et legis suae, nec non omnium sequacium ejus implacabilis est inimicus.

12. — Salmeron in haec cognatorum verba exponit, ut sit sensus: « Quorsum hic latitas in hoc « oppidulo? Contende in aula Romanam, vel in « curiam magni Regis; prode ingenium, sagacita- « tem, prudentiam et litteras, ut ita nomen celebri « comparare valeas, et dignitates, et familiam tuam « illustrare et tuos dilare; hoc est consilium mundi « et hoc ingenium carnis, sed certe tales in Chris- « tum se credere non ostendunt. »

VERSUS 5.

Neque enim fratres ejus credebant in eum.

1. — S. Augustino videtur Evangelistam dicere voluisse, quod hi parentes, ut tales, qui per solam consanguinitatem et conjuncti erant, oculos satis apertos non habuerint, ut eum pro illo cognoscerent, qui revera erat, id est, pro vero Filio Dei. « Opera discipulos non latebant, sed istos latebant,

« isti enim fratres, id est, Christi consanguinei, « Christum consanguineum habere poterunt, cre- « dere autem in ipsum ipsa propinquitate fastidie- « runt. » Et quidem tametsi videri alicui possit, quod modicum hoc cognatorum suorum lumen et exigua quam de ipso habebant notitia in exiguum Christi honorem, imo in ignominiam ipsius redun- « darit; verumtamen id bene consideranti nequa- « quam verum esse patebit. « Nam, » ut Salmeron ait, « inde major Christi gloria consurgit, qui ne « parentes quidem aut consanguineos habuit favo- « rabiles, sed potius contrarios, ut totus ex Deo « venisse cognoscatur. Ad hæc nulli servis Dei ma- « gis molesti sunt quam propinqui, et hi magis « quam extranei. Docemur fidem in Christum do- « num esse Dei, quod nulla carnis prerogativa « contingit; nam credentes neque ex sanguinitate, « neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate « viri, sed ex Deo nascuntur; et caro et sanguis « non revelant Filium Dei, sed Pater qui in caelis « est. »

2. — In dubium porro hoc loco revocari potest, an hi Christi cognati omni prorsus fide in Christum caruerint; neque enim verisimile esse videtur, illos ex visa ejus innocentia, sanctitate et exemplari- « tate, nec non ex conspectis ab eo patris miraculis, nullum de ipso concepisse transcendentem et sublimiorem conceptum. Lucas Brugensis ait : « Non credebant, ut par erat; credebant aliquo « modo, sperabant esse posse Christum; » neque enim alio ex motivo ipsum Jerosolymam ut abiret, exstimulabant, quam ut hujus rei caperent expe- « rientiam. Toletus quoque asserit illos se de Divini- « tate Christi certiores facere voluisse : « Tamen non « adeo increduli, ut id fieri posse omnino negarent, « sed dubii eum ad locum certiores remittebant. » Chryostomus, *Hom. xxviii in Joan.*, per hosce fra- « tres S. Jacobum Apostolum et S. Thadeum intelli- « gendos esse opinatur, eosque in Cana presentes fuisse credit, quando aquam in vinum convertit. « Sed nihil adhuc profecerunt. » Unde si vera est hæc opinio, satis clare videtur, etiam Sanctos ali- « quando errasse; subjungit enim : « Unde igitur eis « tanta incredulitas? A voluntate et invidia; con- « sanguinitas enim solet quodammodo invidia hæ- « beri. » Ponderandum namque est, quod nemo repente fit summus, perfectio enim et sanctitas gra- « datim comparatur, non vero una vice simul et semel.

3. — Salmeron ad hanc illorum incredulitatem probandam aliqua similiter motiva adducit; dicit enim : « Nec enim si fidem habuissent, dixissent « Christo: *Transi hinc, sed Mane nobiscum, Domine;* « nec arguerent Dominum imprudentem, sed con- « fiterentur: *Bene omnia fecit;* nec ipsum docere « conarentur, sed consilium ab eo quærerent, ac « dicerent: *Docce me facere voluntatem tuam;* nec

« quærerent gloriam humanam, nec alios incita- « rent, ut quærerent, sed dicerent: *Non nobis, « Domine, non nobis, sed nomen tuo da gloriam.* »

4. — S. Augustinus, *tract. xxviii in Joan.*, ipsos adeo a vana gloria obfuscatos esse existimat, ut vere ejusdem ac vivæ fidei obtutum in Dei Filium figere nequaquam poterint : « Quare, » inquit, « non credebant in eum? Quia humanam gloriam « quærerebant, nam et quod eum videntur monere « fratres, glorie ipsius consulunt; facis mirabilia, « innotescere, appare omnibus, ut laudari possis ab « omnibus; loquebatur caro carni, sed caro sine « Deo. »

VERSUS 6.

Dicit ergo eis Jesus : Tempus meum nondum adve- nit, tempus autem vestrum semper est paratum.

Dicit ergo eis Jesus.

1. — Hugo Cardinalis Chryostomò duce hujusce responsionis admiratur benignitatem; dicit enim : « Nolanda est blanda Christi responsio; non enim « respondit : Vos qui estis, qui docetis me? sed « mansuete respondit : *Tempus meum nondum ad- « venit;* et in hoc docemur non indigne ferre, « etiamsi viles existant, qui consulantur nobis. » Unde tametsi de ipso scriptum sit, quod vocandus sit *magni consilii Angelus*, nihilominus eorum dicta et suggesta consilia non dedignatur, sed : « Humi- « liter sustinuit consiliantes, que non oportebat; « qua fruemur venia nos terra et cinis, ad ea que « consulantur utilia, graves existentes? »

Tempus meum nondum adventum.

2. — « Significans per hoc, » inquit Cajetanus, « quod singula opera sua agebat definitis tempori- « bus et non prout occurrebat, ut faciunt alii homi- « nes. » Eandem quoque ponderationem Jansenius his verbis adducit : « Significare voluit, se non « aliorum hominum more facere opera sua sit- « gula, prout occurrit, sed certis temporibus, prout « ea novit Patrem prescribere sibi et prout seit ea « maxime facere ad Dei gloriam illustrandam et « profectum Evangelii provehendum. »

3. — Toletus dicit, quod tempus illud, tempus suum appellavit, in quo cum minori vite periculo, humano more loquendo, Jerosolymam ascendere poterat, nimirum quando sedatores futuri erant Judæorum animi : « Id autem fuit, quando jam « furor Judæorum deferberat, qui primis festis « diebus eum avide expectabant. » Incarnata illa Sapientia Pilato dixit, *Joan.*, xviii, 37 : *Ego ad hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati;* ut vero, ut Lyranus observat : « Tempus aptum doc- « trina veritatis, propter quam venerat Salvator, « non sic erat in principio solemnitatis, » non so- « lum quia adversus eum rabile percipi erant, sed

etiam quia festivitatis illius primi dies conviviis, recreationibus, alisque similibus vanitatibus impendebant. Unde S. Cyrillus, *lib. IV in Joan.*, ait : « Cum Judæorum mens nondum matura sit ad « intelligendum, ita ut citra iram ac furorem « meam doctrinam capere queant. »

4. — Hugo Cardinalis Christum dicere voluisse putat, quod nondum tempus ea miracula patrandi advenerat, quibus se vel maxime Filium Dei esse, mundo manifestare volebat, eo quod hæc sibi in finem usque vite sue reservare decrevisset : « Usque « in futurum Pascha, in quo crucifixus fuit, ante « quod volebat miracula plura facere, et beneficia « sanctorum pluribus conferre, et discipulos suos « solidiores reddere, et doctrinam suam plus mani- « festare. »

5. — Rupertus Abbas ait : « Suum tempus, ipse « verus Agnus Dei, paschalem primi mensis solem- « nitatem in quo Deo Patri pro omni mundo sacri- « ficium fleret, jam dudum prospexerat, quo nihi- « lomius tempore idem ipse ab Angelo annuntia- « tus et in utero Virginis conceptus fuerat. » Tempus suum, id est, mortis, non erat festum Tabernaculo- « rum, sed Paschalis, in quo verus Agnus pro mundi redemptione erat sacrificandus; nimirum, ut Sal- meron ait : « Ut veritas responderet figure. » *Tempus meum,* inquit Chryostomus, « hoc est, cru- « cis et mortis. »

6. — S. Augustinus opinatur quod ad persua- sionem illam, quam illum ad comparandum sibi per miraculosa opera sua, Jerosolymis in conspectu mundi plausum et gloriam mundanam perurgebant, hic responderit : « Illis respondit, qui ei consilium « de gloria dabant : Tempus gloriæ meæ nondum « venit. Videte quam profundum sit : de gloria illi « admonebat, sed ille voluit altitudinem humili- « tate præcedere et ad ipsam celsitudinem per « humilitatem viam sternere. » S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*, dicit : « Tempus meæ glo- « riæ ostendende, tempus Passionis, tunc enim plu- « ribus modis divinitatis suæ gloriam manifestavit, « cui testimonium perhibere latro justus, Centu- « rio et alii, qui *revertentur percutientes pectora « sua.* »

7. — Salmeron, *tract. xxxi,* ait : « Ut sit sen- « sus : Non est tempus meæ exaltationis et gloriæ, « sed prius me humiliari oportet usque ad mortem « Crucis, ut ad exaltationem perveniam, et hæc est « via Christi, et suorum omnium. » Electi enim et Sancti, inquit Hugo Cardinalis, primo hic in terris vigiliam agunt, jejunant, contempti sunt et abjecti, et postea in coelis gaudent, et festivitatem celebrant sempiternam.

8. — S. Augustinus, *tract. xxviii in Joan.*, ait : « Quando nobis insultant amatores hujus sæculi, « dicamus eis : *Tempus vestrum semper adest para- « tum, tempus nostrum nondum venit;* nobis enim

« dixit Apostolus : *Mortui enim estis et vita vestra « abscondita est cum Christo in Deo.* Quando veniet « tempus nostrum? *Cum Christus, inquit, appare- « rit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum Christo « in gloria.* »

Tempus autem vestrum semper est paratum.

9. — « Quasi dicit : Tempus gloriæ mundanæ « quam quæritis, » inquit Lyranus, « nunc est, in « principio hujus solemnitatis, quia Judæi magis « vacabant conviviis et lætitiis in principio festi « quam in fine. » S. Thomas quoque verba illa de mundi gloria exponit, dum ait : « Ideo enim mun- « dani habent tempus gloriæ paratum, quia eadem « amant, quæ mundus amat et mundo consen- « tiunt; Sancti vero, qui quærunt gloriam spiritua- « lem, non habent hoc tempus paratum, quia que- « runt quæ mundo displicent, scilicet paupertatem, « luctum, esuriam et hujusmodi, vituperant quæ « mundus amat, ipsam mundum contemunt. »

10. — Ex quo Judæi primos festivitatis dies lætitiæ et dissolutionibus impendebant, Salvator jure merito, tempus suum Jerosolymam adveni- « nondum advenisse ait et subjungit tempus ipsis semper opportunum adesse, quia nimirum illos in bonum finem devotionis et religionis in templum nequaquam abire sciebat : « Vobis autem, qui ex « præscripto Dei non vivitis, » inquit Jansenius, « quibus cum mundo bene convenit, semper oppor- « tunum tempus est petendi in Jerusalem. »

11. — Toletus vero verba illa in alio prorsus sensu explicans dicit : « *Tempus vestrum* quando ad « meliora proficere possitis, *semper est paratum,* « quia nunc etiam vos potestis proficere et ad me- « lius revocari. »

12. — Dionysius Carthusianus præ cæteris exactius litteralem horum verborum sensum attingere videtur, siquidem ita scribit : « Ideo dicit tempus « suum nondum advenisse; tempus vero eorum « semper est paratum, quoniam habuit multos insi- « diatores, illi vero sine periculo adversariorum « ascendere poterant. »

VERSUS 7.

Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.

Non potest mundus odisse vos.

1. — Jansenius dictum hoc Salvatoris quotidiane experientie adversari asserit, siquidem impios se mutuis odiis prosequi et in continis rixis vivere videmus : « Considerandum igitur, ad quod propo- « situm Dominus istud dixerit; » tandem Christum dicere voluisse concludit : « Non potest vos mundus « de ratione, quæ me odit, odisse, utpote qui simi-

« les estis mundo, cum me odiat ob dissimilitudinem, odium enim oritur ex dissimilitudine; » unde et Albertus Magnus ait : « Similium in voluntate, et voto, et opere, non est odium, sed amor et amicitia. »

2. — S. Cyrillus optime advertit quod mundi nomine non hanc universi molem intelligat : « Mundum, non creatum quem cernimus, sed eos, qui que in mundo, sunt, sapient. » S. Bonaventura rationem reddit, cur hi tales in odium et malevolentiam mundanorum minime incurant, dicens : « Mundus diligit suos falsos testes, qui ipsum non arguunt, sed cum eo corrumpunt, et eadem cum ipso volunt, cum tamen meliora sint vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula. »

3. — Toletus ait : « Rectius dicimus eos non odio habitos a mundo, nempe Judæos; quia non credebant, ut et ipsi, in Christum; nec vita sua, seu opera eorum reprehensa erant ab his, sed omnes humana sapiebant, humana querebant. »

Me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.

4. — Salvator noster de se ait : *Ego sum via, veritas, ac proinde Verbum incarnatum præter veritatem aliud nihil proferre poterat; ideoque per necessarium consequentiam malignorum adversus se odium concitare debebat, cum experientia teste certissimum sit quod veritas odium parit.*

5. — Mox ut vel solum veritatis nomen in prætorio Pilati auditum fuit, velut idioma quoddam peregrinum et barbarum, talem protinus provocavit omnium admirationem, ut versis ad se ad invicem vultibus, præ stupore attoniti sese mutuo aspicerent. *Quid est veritas?* Isaias, LIX, 14, de veritate prædixit : *Corruit in platea veritas*; quanto magis in Magnatum aulis, ubi adulatio prævaleat. S. Bonaventura inquit : « Patet hic mundi error et fatuitas, » odit enim arguentem ipsum in veritate, sicut « Jesum Christum hic; non enim amat pestilentem eum, » qui se corripit. » *Prov.*, xv, 12.

6. — Lucas Brugenis Sapientiam Incarnatam excusare se voluisse ostendit, declarando se mundi odium non per propriam culpam, sed ex illius malitia sibi advenisse : « Docteri non vult que salutis æternæ sunt, sed opera sua mala-tueri et aliis quoque probari; » hæc enim præcipua causa fuit, cur Judæi mortem ipsi machinarentur. Legatur vaticinium illud *Sap.*, II, 12, descriptum, ubi dicitur : *Circumvenimus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et inproperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplina nostræ.* Etenim reprehensiones, quibus probus in occasionibus Judæos de iniquitate sua redarguit, persecutionem et odium Judæismi adversum se concitarent. Unde S. Cyrillus super hæc verba ita scribit : « Cum necessitas Doctorem ad

« arguendum adigit et curandi ratio id postulat, » discipulus vero reprehensionis impatienter vehementer indignatur, tunc ex odio mala utique nascuntur. » Quæ omnia in præsentis casu nostro concurrebant; siquidem in synagoga aliud nihil erat, præterquam hypoëris; in Sacerdotibus, Scribis et Phariseis, omnibusque aliis, vitium regnabat et iniquitas; pergit itaque S. Cyrillus dicere : « Idcirco Salvator ait, a mundo se odio haberi, ut qui nondum cum objurgatione admonitionem ferre possit, cum id propter utilitatem fieri debeat; » rationem quoque reddit, cur correctio in ejusmodi hominibus parum aut nihil proficiat : « Animus quippe vitiosi voluptatibus deditus, castigationem prorsus ferre nequit. »

7. — Cajetanus observat quod ei, qui Christum monuerat, ut Jerosolymam abiens miracula ibidem operaretur, ad hoc ut per illa favorem, famam et venerationem sibi conciliaret et persecutoribus suis prevalere posset, « Responderit declarando causam persecutionum non esse ignorantiam miraculorum, sed odium natum ex eo, quod testimonium reddit de malis operibus eorum. » Toletus idem fere scribit, dum ait : « Causam alii explicat, quia opera ejus mala reprehendo; mundos ergo reprehensionem nolens admittere, reprehensorem occidere querit. » Idem quoque Toletus in specie de Judæis tractans dicit, quod Christus hisce verbis cognatis suis dicere voluerit : « Non vos querunt interficere, sicut me, quia vos mala opera eorum non arguis, sicut ego facio et feci. »

8. — Salmeron, *tract.* xxxii, super hæc verba scribens, insigne nobis tradit morale documentum, dum ait : « Cordi alte inflegendum, quoniam nobis cum mundo, dum vivimus, versandum est, et non sic caute ambulemus et cum eo tanquam cum proditore agamus, actum est de nobis; est enim mundus plenus laqueis, rebus, periculis, insidiis, » proditoribus. »

VERSUS 8.

Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.

Vos ascendite ad diem festum hunc.

1. — Id est, » ut Albertus Magnus exponit, « ad diem primum festivitatis, quia illa dies fuit solemnior et ad illam diem plures convenerunt; » Christus etenim primis diebus solemnitatis, ob rationes in Evangelio Ferie præcedentis allatas, interesse noluit.

2. — Lucas Brugenis ait : « Ablegat a se fratres suos secundum carnem, quorum auctoritatem et affectus semper solitus erat submovere, quos evangelicum esset agendum negotium. » Tametsi

enim et ipse hanc festivitatem adendi voluntatem habuerit, non tamen certiores fieri voluit, quod id ad ipsorum persuasionem minime faceret, utpote quibus resolute et categorice dixerat : *Ego autem non ascendo, vos ascendite*; postquam vero ipsi Jerosolymam versus abiissent, paulo post et ipse eodem se recepit, verumtamen ut S. Joannes dicit, *quasi in occulto*, ad docendum nos, quod in rebus ad evidens æterni Patris sui servitium non spectantibus, cognatis suis adhaerere nolit, quod adeo firmiter servavit, ut etiam sanctissimæ Matri suæ et S. Josepho de ejus amissione dolentibus respondere non dubitaverit, *Luc.*, II, 49 : *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?*

3. — S. Augustinus hic querit : « Quid est hunc? ubi gloriari humanam queritis. Quid est hunc? ubi extendere vultis carnalia gaudia, non æterna cogitare. » S. Antonius de Padua inquit : *Ad diem festum hunc, qui scilicet est ad mundanum conversus lætitiarum et non factus ad divinam reverentiam.* » Albertus Magnus ait : « Sicut mundani, qui festa gaudiorum mundanorum queritis, ascendite ad diem festum hunc, in quo videri et videre queritis in vanitate et concupiscentia; non propter solemnitatem, sed propter vanitatem, quæ fiebat in solemnitate, ascendunt. »

4. — Chrysostomus, *Hom.* II de S. Pent., verba illa S. Pauli, II *Cor.*, v, 8 : *Inque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis*, hæc inquam ponderans ita scribit : « Indicat conscientiam mundam festum efficere; nihil enim aliud est festum quam lætitia; spirituale vero lætitiarum nihil aliud gignit quam conscientia honorum operum; » quotidiana nihilominus experientia liquet, fideles ut plurimum in diebus festis vel maxime majoribus dissolutionibus frenum laxare. S. Thomas de Villanova, de gaudiis illis scribens, quibus sancta Mater Ecclesia sancti Præcursoris natalitium diei prosequitur, ita disserit : « O S. Baptista, hi profanis ludis tuam se putant celebrare festivitatem : non celebrant, sed profanant, nam quale est sanctum virum in eremo commemorantem, cilicio camelorum vestitum, non comedentem, nec bibentem talibus ludis, et choreis, et cibus, et potibus honorare; scriptum est : *Quod multi in natiuitate ejus gaudebunt*; sed isti gaudent non de natiuitate, sed de vanitate. » Etenim in collecta, quæ ejus festivitati adaptatur, ita legitur : « Da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. »

5. — Deus populo suo iratus, hisce illum verbis, *Isa.*, I, 14, objurgavit : *Solemnitates vestras olivum animi meæ, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens, cujus paulo post causam declarat, dicens : Manus vestra sanguine plena sunt; lavamini, mundi*

estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere. In eodem quoque capite deinde protestatur, dicens : *Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abundantio est mihi.* Magis enim Deo corda nostra munda quam animalia placeant, *Psal.* LXXIV, 14 : *Inimola Deo sacrificium laudis et vobis Altissimo vota tua; Rom.*, XII, 1 : *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostium viventem, sanctam, Deo placentem.* Chrysologus proinde, *Serm.* LXXXVII, ait : « Non tam libenter odoratur Arabica arboris guttam quam sinceri cordis et pectoris sanctitatem. » Idem quoque monitum tradit nobis S. Augustinus, *Serm.* CXXXVI de temp., dum ait : « Replemur jucundis, » pretiosius odoribus castitatis, fidei et compunctionis incenso, balsamo benevolentie et thymiamato charitatis. »

6. — Quenam porro solemnitas Deo acceptior existat, S. Ephrem hiis verbis exponit : « Celebritas est bona et pulchra, et Deo grata, est penitentia cum lacrymis. » Cui consonat, quod Origenes ita scribit : « Est et magna festivitas, humana salus. »

7. — S. Isidorus, *Hom.* xxii in *Nem.*, significatum ethymologicum hujus dictionis *celebritas*, inde provenire dicit : « Eo quod non ibi terrena, sed ecclesiastica tantum agantur. » Considerandum quoque est nomen illud, quod increta Sapientia in eorum festum, quæ ab Hebræis in ejus honorem celebrabantur, detestationem ulitur, *solemnitates vestras* illas nuncupando, dicere enim quis posset : Numquid festa illa in Dei honorem et ex ipsiusmet Dei jussu instituta fuerunt? quæ igitur illa festa *solemnitates vestras* appellat? sed in promptu causa est; nimirum ideo festa illa non sua, sed ipsorum appellat, quia in illis nihil sui invenire poterat, maxime spectando finem, ob quem illa instituta; neque enim celebrabantur, ut ob receptorum beneficiorum memoriam cultus ei et veneratio debita cum patria exhiberetur; neque cum illa peragebantur pietate et devotione, qualis requirebatur, sed potius ex consuetudine, sive ob recreationem quamdam et vanitatem. Præceptum quod Deus de festorum sanctificatione instituit, his verbis comprehenditur, *Ex.*, xx, 8 : *Memento, ut diem sabbati sanctifices*; circa quæ verba Oleaster optime notat, « Deum » non dicere quod sabbati recorderis, ut in eo gaudeas, tripudies, ut tibi vaces, sed ut sanctifices. »

8. — Inter alios Jerosolymæ miserias, quæ vindictiva Dei iustitia per modum supplicii evidens superinduxit, quæque ab Jeremia Propheta amarissimis lacrymis deplorata fuerunt, una fuit, quod festa illius inimicis ejus versa sint in derisum et improprium, *Thre.*, I, 7 : *Viderunt enim hostes ejus et deriserunt sabbata ejus*; videbant enim quod Judæi, qui ea die pietatis et religionis operibus intenti esse debebant, eadem die vel maxime ludis, tripudiis, conviviis, aliisque dissolutionibus dediti essent; de

quibus S. Bernardus, *de int. domo*, lxx, ait: « Videntes cantes corpore, vacantes ubique corde nequaquam merentur videre, quam dulcis est Dominus, nescientes facere sabbatum ex sabbato; merito videntur cum hostes et derisoriani sabbata ejus, indo enim hostes derident sabbata eorum, vel tuæ « vocationis otia. » Quodnam obscuro Dei motivum fuit, ut tanta cum severitate in illos animadverteret, qui festa profanabant, adeo ut ne quidem Deus manna in sabbato colligi permittere voluerit? Tostatus ait: « Ut daret eis incentivum, sive occasionem « vacandi Deo; nam cum aliquis videret se caren- « tem omni occupatione, converteretur ad Deum. »

Ego autem non ascendo ad diem festum istum.

9. — Filius Dei apertissime se illis festis interfuturum non esse protestatur, in quibus lætitia mundana, vanitas, dissolutio et sola apparatus, aliorumque ornamentorum exteriorum ostentatio locum habere cernitur. Unde S. Bernardus Senensis, *Serm. xxxv*, dicit: « Ascendite vos, ego non ascendo ad festa ista mundana, vana et temporalia; « alia sunt festa spiritualia, et ad illa ivit Christus: « Festa spiritualia sunt displicentia peccatorum, « dolendo de peccato facto. » Christus festivitatem illam adivit, ad verbum Dei annuntiandum, ad communicandam auditoribus suis notitiam, ad illos convertendos et ad compunctionem excitandos; unde circa finem Evangelii habemus: *Quidam autem dicebant, quia bonus est*. Optime igitur Chrysostomus, *Hom. xii de Pent.*, his verbis monet: « Festum celebremus non janam coronantes, sed « animas comentes; non solum tapetibus exornantes, sed animam splendidam virtutis amictu redentes. »

10. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hoc fer.*, operæ pretium esse dicit examinare, qualenam sit festum illud, ad quod Filius Dei se ire nolle dicit: « Hoc festum dicitur Scænopegia, quod interpretatur: Fixio tabernaculorum, per hanc siquidem « mundanam intelligere possumus lætitiā, de « qua, *Eccl.*, xxxiv, 2: *Quasi qui apprehendit umbram et persequitur ventum.* » Jeremias, *Th.*, i, 4, lamentatur inter cætera de eo, quod via *Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem*; sed qua ratione id literaliter verum esse dici poterit, quandoquidem ad eandem ex omnibus Palestinæ partibus ingens fiebat hominum concursus? Oleaster dubium hoc solvit, dicens: « Quia pius et cultores Dei desiderabant; » major enim concurrentium hominum pars eo vel ex curiositate, vel propter lætitiā, vel ex consuetudine concurrebat, absque eo quod se reflecterent aut applicarent ad id, quod maxime considerandum et intendendum erat, scilicet ad sincerum Dei cultum, ad orationem, vel ad Dei verbum devote audiendum, ad quæ proinde festa Deus se ire nolle aperte protestatur.

11. — Quæri autem hand inopportune hoc loco potest, cur Salvator cognatos suos ad ejusmodi festa frequentanda non potius impederit, vel dehortatus fuerit, quando modicum illos ex tali frequentatione profectum reportaturos esse sciebat. Salmeron ait: « Non est dubium, quin Christus « eos instruxisset et retinisset apud se, si corde « sincero fuissent, et simpliciter errasset; verum « quia spiritu livoris, et affectu humane gloriæ « ducebantur, maleque de se sentiebant, suis ipsorum consiliis reliquit, et a se abegavit: sic solet « Deus incredulos et immorigeros suos ipsorum « consiliis relinquere. *Psal.* lxxx, 13: *Dimisi eos « secundum desideria eorum.* »

12. — S. Cyrillus, *lib. IV in Joan.*, inquit: « Palet « Christum nolle festum agere cum fratribus, id « est cum tota Judæorum gente; » in cujus probationem citat illud Amos, v, 2: « Odio habui, repuli « festivitates vestras; nec odorabor hostias in conventionibus vestris. Ad hoc festum non ascendo, « quod typo nimirum et figura constat; nihil enim « in eo sentio voluptatis, sed vera celebritatis tem- « pus, quod nondum impletum est, potius ex- « pecto. » Qualenam vero festum fuerit, quod tanta cum mentis lætitiā et aviditate expectabat? Beda optime declarat, dum illud Passionis et mortis ipsius diem fuisse dicit: « Unde licet intelligere, « vel hanc Domini responsonem, quia ait: *Ego « non ascendo ad diem festum hunc*, ad Passionem « Domini pertinere, quia Christus non in festivitate « Scænopegie, sed in festivitate Paschali, qua Agnus « occidi solebat, crucem ascendit. » Clarius idipsum nobis exponit Chrysostomus, *Hom. xlvii in Joan.*, dum ait: « Non dixit simpliciter: *Non ascendam*, sed, *ad hunc*, id est, vobiscum; quia « tempus meum nondum impletum est: atqui in « futuro Paschale crucifigendus erat. »

13. — Interlinearis ait: « Non ascendam ad diem festum istum, sicut vos, quærens gloriā; » quia tempus gloriæ meæ nondum est, in quo « erit mea festivitas; » quasi diceret, tempus illud, in quo ego festivitatem celebraturos, gloriæque meam comparaturos sum, tempus futurum erit amare Passionis meæ. S. Augustinus, *Hom. lxxvii novi Test.*, declaraturus, quo sensu se ad festum illud ire velle dixerit, ad quod postea se revera contulit, ita scribit: « Ascendit non quasi ad diem « festum, sed quasi ad litem, illi enim omnes læti « ascenderunt, quasi ad perfrundas delicias diei « festi; is autem illi fuit dies festus, quo Passione « sua redemit mundum. Hic festus dies ejus, in « quo vicit mortem. »

14. — S. Cyrillus considerat Christum non totaliter reditum in Jerosolymam abhisse, sed dixisse, se nolle tunc ire. « Hec autem Salvator ait, non « quod omnino negaret se Jerosolymam profecturum, neque quod reprehensiones peccatorum

« utiles adhibere detrectaret; sed quod congruo « tempore istud quoque inter alia facere in animo « haberet. » Judei etenim in festivitate illius principii valde adversus eum exasperati erant, ideoque ex industria ipsum præstolabantur, ut suas in innocentissimo ipsius corpore cruentare manus possent, Providus vero Redemptor noster summa cum circumspectione eosque expectavit, donec sedati aliquosque ipsorum animi essent; hoc enim enorme scelus committendi occasionem præbere noluit, licet ipsi, ut optime Theophylactus observat, ex ipsis presentia, qua ipsi velut spina in oculis erat, ferocientes, quodvis contra ipsum in cordibus suis mala machinarentur. Qua in re utilissimum nobis præbuit exemplum, quod scilicet si festa, ad quæ magni est populi concursus, frequentando, nos prævidemus aliis daturis esse occasionem offensæ vel lapsus, potius ab illis nos subducamus et absentemus; quodsi vero ut illa adeamus, magna a nobis exposit vel convenientia vel necessitas, illa cum debita cautela et circumspectione frequentemus.

15. — Beda optime ponderat quod dies festus Filii Dei non sit ille, quem sol materialis producit: « Ipse erit festus dies meus, non diebus istis percurrentes et transiens, sed manens in æternum; ipsa erit festivitas, gaudium sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube. »

Quia meum tempus nondum impletum est.

16. — Salmeron ait: « Modo quindecim codices « varii legunt: *Nondum ascendo*; » ex quibus verbis deducitur ideo ipsum minime judicasse opportunitatem, ut iret in Jerusalem, ne ibidem in principio festivitatibus adesset, ab rationes jam dictas; unde Toletus ait: « Non ascendam nunc vobiscum, ascendam tamen postea, *tempus meum nondum est impletum*; tempus suum appellat, quando minori « periculo, humano loquens modo, poterat comparere. »

VERSUS 9.

Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa.

1. — Hinc deductum est illud Salmeronis documentum: « Adidice ergo tu quoque a Christo, ut « non sinas te trahi a carne et a sanguine, a proposito religionis, ad celebranda festa in mundo; » quod si enim una cum ipsis Jerosolymam concessisset, de ipso æstimari potuisset, quod cognatorum hortatione motus id fecisset, eundemque sibi haberet propositum finem, quo ipsi existimati eo se recipiebant, nimirum ad comparandum sibi plausum et gloriæ mundanam; magna igitur cum prudentia tunc eo in societate ipsorum abire destitit ad denotandum, quod ubi de cultu et servitio Dei agitur, aures præbendæ non sint carni et sanguini; postea vero eo se contulit, ut legi satisfaceret, animarumque operaretur salutem.

VERSUS 10.

Ut autem ascenderint fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto.

Ut autem ascenderint fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum.

1. — Cum cognatis suis ascendere noluit, ne carni et sanguini adherere videretur, *Psal.* lxxviii, 9: *Extraneus factus sum fratribus meis.* « Consueverant Galilæi iuramentum, » inquit Lucas Brugensis, « ad solemnitates Jerosolymitanas proficisci per cognationes et vicinias; qua occasione et secum « trahere volebant fratres isti; » at vero id ab eo obtinere non poterunt.

2. — Lyranus Salvatorem quadriduo post eo ascendisse scribit, ita ut quarto die solemnitates, quæ septem diebus durabant, ibidem præsens adesset: « Sicut enim noluit esse in principio festivitatibus, ne fratribus suis videretur favere, malum « persuadentibus, sic non habuit se omnino subtrahere, ne a populo doctrinam salutis subtraheret, quam venerat docere. »

3. — S. Augustinus, *tract. xxviii in Joan.*, explicat qua ratione verbis suis satisfecerit, quibus dixerat: *Ego autem non ascendam ad diem festum hunc*, tametsi se postea eo contulerit. « Ideo non ad diem « festum hunc, quia non gloriari temporaliter, sed « aliquid docere salubriter, corrigere homines, de « die festo æterno admonere, amorem ab hoc sæculo avertere et in Deum convertere cupiebat. »

4. — Hugo Cardinalis dicit quod Christus quidem Jerosolymam adierit, sed non ad moriendum; « Non ad patiendum quidem, sed ad docendum, in « quo erudimur et nos posse formidare mortem, « sed ita ut propter hoc non dimittamus facere « quod debemus. »

5. — Idem quoque Doctor dicit cognatos Christo gloriæ et honorem mundanum, divitias et voluptates persuasisse: « Manifesta tempus mundo, sed « Christus non acquievit carni et sanguini; unde et « nos similiter faciamus, ascendamus ad hoc festum die festo mediante, ut subsidium temporalium accipiamus, tantum ad necessitatem corporis, anima vero non in eis, sed in celestibus « quarum suam delectationem. »

6. — S. Thomas hæc festivitate aliam quamdam deducit moralitatem: « Scænopegia erat festum « Tabernaculorum; ille ergo hoc festum celebrat, « qui se in mundo isto intelligit peregrinum. »

Non manifeste, sed quasi in occulto.

7. — S. Cyrillus hæc absconsonem hoc sensu interpretatur: « Quod non ea libertate utatur et « hilaritate qua qui ad festum ibant. »

8. — Toletus ait: « Non magno comitatu uti solebat, et omnibus notis, recto consilio laetit, tum ut Judaeorum furori aliquantulum cederet, qui tunc maxime erat, quando expectabatur venturus et docturus, nempe primis diebus; tum ut sui excitaret desiderium; denique ut suam potentiam ostenderet, qui Judaeis ipsum illis diebus inquirentibus, et contra eum murmurantibus apparuit, et tamen nihil ei nocere poterint. » Id quod turbae admirabantur, quando dixerunt: *Ece polam loquitur, et nemo in eum manus mittit.*

9. — Dionysius Carthusianus dici posse existimat quod diversum ab ea quam omnes alii ingredi solebant, tenerit viam, viasque ingressus sit ab aliis minime communiter tritas: « Vel quia conspici noluit, per quod dedit exemplum, ut inter dum humiliter lateremus, atque occulte agamus bona, quae agimus, ne alii contra nos provocentur. »

10. — Cajetanus ait: « Non enim ascendit praedicando, praemittendo discipulos, ad preparandos auditores. sed velat persona privata. In aliis obvis occasionibus pertransiit beneficiando et sanando omnes; » nonnunquam etiam alias praedicebat, morabaturque in via; in hac vero occasione secreto et privatim ascendit, idque ut Lyranus ait: « Ne daret Judaeis occasionem majoris invidiae. »

11. — Glossa in sensu allegorico dicit: « Typico Christus occultus ascendit in festivitatem, quia in omnibus illis figuratibus laetit, qui modo est manifestus nobis. » Quia enim Apostolus ait: *Omnia in figura contingebant illis*, omnis legis Mosaeicae cultus, qui a Deo datus fuerat, umbras et figuras in se recludebat illius, quod Filius ejus in nova Evangelica lege nobis revelaturus erat.

12. — Hugo Cardinalis ait: « Non manifeste, id est, non quaerens favorem hominum, sed salu-tem, » quibus verbis dicitur purpuratus Doctor ad inordinatum illud consilium: *Manifesta te ipsum mundo*, ideo quasi totaliter oppositum fecit, comparando sine editis miraculis et sine ullo omnipotentiae et divinitatis suae specimine, sed solum eo concessit, ad operandum predicatione sua mediante aliorum salutem.

13. — S. Thomas, in *Joan.*, ait: « Ut doceat nos bona quae facimus occultare debere, non quaerentes favorem hominum, nec pompas stantium turbarum desiderantes. »

VERSUS 11.

Judaei ergo querebant eum in die festo, et dicebant: Ubi est ille?

Judaei ergo querebant eum.

1. — Non ex motivo amoris, sed odii illum querebant ut scilicet dure illum tractarent et neci tra-

derent. Unde S. Cyrillus ait: « Judaei querebant, non ut eo invento credant, praevenerint enim eorum indaginem et seipsam obtulisset, sicut ipse ait: *Inventus sum ab iis qui me non querebant.* » Paulo post vero idem S. Doctor hanc deplorat eorum infelicitatem, qui Christum querebant, non ut illum haberent, sed ut eum in seipsis perderent: « Querebant Jesum, ut multis eum laescentes conviciis inextinguibilem flammam suis capibus accersant, propheticæ vocis sunt immemores, *« Isa., LV, 6, quæ ita habet: Quærite Deum et invocando eum, invocato, et postquam appropriaverit, derelinquet impius viam suam et vir iniquus cogitationes suas, et convertatur ad Dominum, et misericordiam consequatur.* Vides, ut salutem non modo quaerere sufficiat, sed cum inveni- mus, converti debeamus, per obedientiam nimis ac fidem. »

2. — Lyranus, in *Joan.*, eorum, qui querebant et interrogant, diversos exponit fines; aliqui enim eum querebant, ut eum occiderent, alii vero quia divini verbi auscultandi avidi erant: « Ideo debuit apparere et docere, ut ostenderet quod mali nocere non poterant, nisi quantum permittebat; sicut enim se occultando ostendit infirmitatem humanitatis; ita confidenter inter inimicos apparendo, ostendit potentiam Deitatis; debuit etiam apparere propter bonos, ut ejus doctrinam originatam a Deo ostenderet, ut attentius eam considerarent. »

3. — S. Thomas quoque differentiam notat intentionum, quæ erat in illis, qui eum sequentur: « Quidam querebant desiderio addiscendi, secundum illud Psalmi LXXXVII: *Quærite Deum, et vivet anima vestra.* Alii desiderio malignandi, secundum illud Psalmi CXXXIX: *Quærent animam meam ut auferant eam.* » Albertus Magnus dicit: « Quidam mala intentione, quidam bona; quidam varia, etiam curiositate. *Joan., VI: Quæritis me non propter signa, quæ vidistis, sed quia manducastis de panibus.* »

In die festo.

4. — « In die festo ad eadem semper ferebantur, » inquit Lucas Brugensis, Chrysostomi testimonium citans, « et festis eum diebus capere tentabant. » — « Pulchra sane illorum opera in diebus festis, » exclamat Euthymius, « cum illos cædis facerent occasionem; quo die potissimum quaerere debebant Christum, ut in eum auditum crederent, eum querebant, ut occiderent. »

5. — S. Bonaventura Christum persepe in diebus festis miracula edere solitum fuisse considerat, ideoque longe detestabiliorem ipsorum malignitatem fuisse deducit: « Sicut enim, ait Chrysostomus, in his scilicet festivitibus piscari eum, id est, capere solebant; et loquendo ironice ait:

« Quod bene erant Judaeorum directiones, id est, festivitates, in occisionem impetum faciebant. » Theophylactus quoque eandem ponderationem adducit, dum inquit: « Considera quam avidi fuerint cædis, cum neque per tempus festivitatis illi parcerent, sed venari illum per illud volebant; unde cum verissimum sit quod de iis, qui mortali- ter Deum offendant, dicit Apostolus, *Hebr., VI, 6, quod scilicet sint rursus semetipsos crucifigentes Filium Dei*; quis est, qui non videat quod multi non solum Judaei, sed et Christiani festivitibus et solemnitatibus præcipuis utantur, ut desideria sua et carnalium intentionum suarum effectum consequi possint. Unde Salmeron ait: « Querebant boni bene, et mali male querebant, quemadmodum et ad festa, quæ celebrantur, non omnes sincero animo veniunt, et ideo bene Psalmista dicit, *« Psal. CXVII, 126: Tempus faciendi, Domine, distulerunt legem tuam; »* seu ut S. Hilarius legit: *Tempus sacrificandi, Domine*, quasi diceret: Eo tempore, quod ad cultum et honorem Deo exhibendum specialiter est institutum, impij Christiani vel maxime contra ipsum offensas multiplicent. Una ex circumstantiis, scilicet a Judæis in crucifixione Filii Dei patratum nobilissimæ aggravantibus, fuit solemmissima illa Paschalis festivitas. Unde S. Bonaventura, verba illa, *Vocavit adversum me tempus*, ponderans, inquit: « Tempus enim aggravat Christi passionem, aggravat autem propter festi magnitudinem: propter quod multi convenerant in Jerusalem, ut coram pluribus inhonoraretur, in quo tempore gravior est affligi; » ita quoque quod aliquis in diebus festis, qui instituti sunt, ut eos sanctificemus, ut Deum in iis placeamus, ut hominis sancticæ vacemus operibus, quod in quam aliquis iis diebus omnino contrarium faciendo scandalum potius præbeat, et hoc quidem multis, qui similibus festivitibus in copiosissimo numero tunc presentes assistunt, hoc utique peccantis culpam notabiliter aggravat. Unde Deus apud Ezechielem, XIII, 38, merito lamentatur dicens: *Polluerunt sanctuarium meum et sabbatum meum profanaverunt; ubi Hugo Cardinalis inquit: « Quia in festis magis peccant et alios provocant ad peccatum et de hoc conquirentur frequenter Dominus in Scripturis, quia in festis diebus magis eum offendimus, et magis gloriæ et luxuriæ vacamus. »*

6. — Optimum festa rite decenterque venerandi modum S. Ambrosius, *lib. II de Abel.*, nobis tradit hisce verbis: « Festus dies Domini est, ubi perfectarum virtutum gratia est, quæ tunc perfectæ sunt, si sollicitudines sæculares, et corporales illecebras victor animus delinimenta voluptatis excludit. »

Et dicebant: Ubi est ille?

7. — S. Antonius de Padua postquam dixisset

illos Salvatorem offendisse: « In irreverentia festi- vitatis, in die, quando debuissent vacare Deo, » statim illos quoque offensam aggravasse, subjungit, per contemptum et vilipendium, quo Christum affliciebant: « In contemptu, quia non dignatur eum ipsum nominare. » Rupertus Abbas ait: « Vide eum nec precordialis ardore, quanto sevient ve- nire genicordialis ardore, quanto non dicunt: *Ubi est Jesus?* Sed ubi est ille? Numquid enim ejus, quem querebant interficere, poterant nomine nescire? Ergo cordis illorum habitator homicida diabolus sic eos agebat, ut odio dictante, nomen salutis non possent, imo nolent attingere. »

8. — S. Cyrillus similiter in hac interrogatione contemptum et odium erga Salvatorem observat, dum ait: « Superbiorum est ea vox, ille, et non dum eum colore dignantur, quamvis multis editis miraculis apud eos in maxima fama et exultatione esse debeat. »

9. — Chrysostomus, *Hom. XLVIII in Joan.*, ait: « Ex nimio odio eum nominatum appellare non patiebantur. » Salmeron enim, qui hanc interrogationem proposuit, de numero persecutorum ejus fuisse existimat: « Videtur fuisse de hostibus, quibus ut gravis erat ad videndum, ita et ad nominandum, » utique de eo loquentes, hisce malis et inurbanis terminis uti consueverant. Cajetanus ait: « Non aperiebant venenum suum turbis, sed non videntes eum more solito, interrogabant: *« Ubi est ille? »*

10. — Lyranus vero dicit, quod ii, qui ad necem illi inferendum eum querebant, « dedignabantur eum nominare nomine proprio; illi autem, qui querebant eum ex devotione, ita reputabant eum famosum, quod non oportebat exprimere nomen proprium; » unde hi, ut idem Doctor ait, in hac interrogatione ei honorifice deferre volebant, quasi dicerent: « *Ubi est ille*, qui tantus et talis est, et facit tot miracula. »

VERSUS 12.

Et murmur multum erat in turba de illo, quidam enim dicebant, quia bonus est; alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.

Et murmur multum erat in turba de illo.

1. — Hanc populi Israelitici dissensionem, nequaquam admirandam esse docet Salmeron, inquit: « Quod esset murmur de illo mirum non est, quia sunt Angeli sancti et apostate, homines pii et impii, qui interdum non tantum in se dissentiunt; sed etiam boni cum bonis, ut constat ex dissensione Pauli et Barnabæ. »

2. — Ecce quosque murmurationis temeritas ascendere ausit, nimirum ut etiam de ipsomet Dei Filio qui, *Sap., VII, 26, candor est lucis æternæ,*

speculum sine macula, male loqui sinistramque conceptum ingerere ausit; de quibus dici potest: *Posuerunt in celum os suum*. Ille quoque benedictus aures, que in celo ab angelicis hierarchiis, per continuas acclamationes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, honorantur; nunc quoque improprium illud audire cogatur: *Dæmonium habes*. *Quidam enim dicebant, quia bonus est, alii dicebant non.*

3. — Omnes equidem uno ore dicere debuissent, quia bonus est; siquidem a Spiritu Sancto dictata veritas est, *Psal. LXXII, 1: Quam bonus Israel Deus*. Tametsi advertendum quoque sit, quod profinus subditur: *His, qui recto sunt corde*; unde convincitur, illos, qui hanc veritatem negabant, vel saltem in dubium vocabant, nequaquam rectos corde, sed perversos et malignos extitisse. Jeremias quoque de bonitate Dei testimonium perhibet, dicens, *Thren., II, 25: Bonus est Dominus*. Sed quibus putas bonus est? *Sperantibus in eum, animam quaerenti illum.*

4. — Chrysostomus, *Hom. XLVIII*, illos, qui bonum de Salvatore conceptum habebant, deque illo honorifice loquebantur, plebeios fuisse existimat; hi namque erant, qui ut plurimum lateri ipsius adhaerebant, dicit enim: « Nam puto multitudinis opinionem hanc, non Principum et Sacerdotum fuisse; illud enim verbum: *Non, sed seducit turbas*, hoc indicat. » Idem quoque Lyranus testatur, dicens: « Ex hoc, quod isti malignantes dicebant turbas esse seductas ab eo, patet quod major pars secundum numerum dicebat contrarium; » adeoque multitudo populi ipsum tanquam Christum veneratur; unde conformiter ad opinionem Chrysostomi concludit, illos, qui Salvatore, seductorem esse, dicebant, principes fuisse, nisi forte cum Cajetano sentire velimus, qui ait: « Dicentes, quod seducit turbam, inter turbas quidem erant, sed non de turba; nisi forte increduli aliqui de turba arrogantes sibi exemptionem a turba, tanquam prudentiores aliis. » Chrysostomus porro in laudem plebeiorum, magnatum vero reprehensionem prosequitur, dicens: « Vides ubi que optimates quidem corruptos, turbam vero sano fuisse iudicio, » pauperes enim, id est, qui continuo laborant, huicque mundo, non adeo tenaciter adhaerescunt, ad Christum sequendum aptiores sunt, magisque dispositi; ideoque obedientiae praeceptis divinis et legi Evangelicæ exhibende capaces existunt. Quinam obscuro si fuerunt, qui ad nuptias prae aliis in Evangelio invitati fuisse leguntur, id est, qui incarnationis Filii Dei gratias et beneficia immensa quam maxime participarunt? *Luc., XII, 13: Pauperes, debiles, caecos et claudos introduce huc*. Quinam inter alios ad aeternarum caeli deliciarum fruitionem fuere vocati? *Matth., V: Beati pauperes, beati qui lugent, beati qui persecutionem patientur*; nunquam dicitur: *Beati divites, beati principes*, sed prima beatitudo pauperibus ascribi-

tur, inquit S. Ambrosius, *lib. V in Luc.*: « Primam beatitudinem hanc uterque Evangelista posuit; ordine enim prima est et parens generatioque virtutum; » imo valde considerandum est, quod S. Matthaeus, *v, 1*, dicit: *Videns turbas, ascendit in montem*, ex eodemque omnibus octo beatitudines turbis annuntiavit: *Videns turbas*, quotiescumque de Christi sequela, vel de ejus notitia sua agnitione et commendatione agitur, turbarum semper fit mentio, nunquam vero magnatum mundi hujus vel Principum. Quando sancta illa mulier ad Christum a calumnia illa, qua dæmoniacus vocabatur, defendendum in haec voces clamando prorupit: *Beatus venter qui te portavit*, S. Lucas hac de re scribens ita loquitur: *Extollens vocem quaedam mulier de turba*; quando ei regni sceptrum offerre, eumque Regem creare moliebantur, oblatio isthaec a turba illa facta fuit, quam in deserto miraculose paverat, *Joan., VI, 2: Sequetur eum multitudo magna*; turba doctrinae et sapientiae ejus applausit, *Matth., VII, 28: Admirabantur turbæ super doctrinam ejus*. Turba magna cum aviditate eum secuta, eique magna cum reverentia obsecuta fuit, *Luc., IV, 42: Turbæ respirebant eum*; turba vivacissime sacramentum ejus humanitatem fide apprehendit, *Luc., VI, 19: Omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat*. Turbæ ad eum exaltandum et magnificandum, reverentiali cum timore, laudibus et gloria prosecute fuerunt, *Matth., IX, 8: Videntes turbæ timuerunt et glorificaverunt*. Turbæ ad divinum ejus verbum auscultandum magna cum frequentia concurrerunt, *Luc., V, 1: Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei*. Quæ omnia devotionis et fidei turbarum erga Salvatore clarissimum perhibent testimonium; quod tamen vel maxime ediderunt, quando cum olivis et palmis triumphalibus ipsi obviam procedentes, Filium Dei et Messiam esse proclamaverunt, *Matth., XXI, 8: Plurima autem turba straverunt vestimenta sua; de iisdem turbis dicitur, Matth., XII, 23: Stupebant omnes turbæ et dicebant: Numquid hic est Filius David?* Imo ipsemet Christus discipulos suos, non de Scribis, Phariseis, sacerdotibus aut principibus, sed de turbis, interrogavit, dicens, *Luc., V, 18: Quem me dicunt esse turbæ?* Imo ex quo turbæ post Lazari resurrectionem Christum venerabantur, eique credebant? *Testimonium perhibebat turba, quando Lazarum vocavit de monumento*; principes utique majori adversus Redemptorem ferocia usi fuissent, nisi turbas in favorem ipsius seditionem concitaturas fuisse formidassent, *Marc., XII, 17: Quaerentes eum tenere, timuerunt turbas*. Ex alia vero parte Principes, omnium malorum, que Christo acciderunt, auctores et instrumenta fuisse compertimus, *Matth., XXI, 15: Videntes Principes mirabilia quæ fecit, indignati sunt*; imo ipsemet de se dixerunt, *Jo., VII, 48: Numquid ex Principibus aliquis crederet in eum? Sed*

turba hæc, quæ non novit legem, et moledicti sunt. Discipuli in Emmaus abentes, Principes agooverunt fuisse crucifixionis Christi auctores, *Luc., XXIV, 29: Tradiderunt eum summis Sacerdotibus et Principibus nostris in damnationem mortis, et crucifixerunt eum*. Id quod Christus ipsemet iis die ante prædixerat, *Matth., XVI, 31: Cept ostendere discipulis suis, quia oportet eum multa pati a senioribus, et Scribis, et Principibus sacerdotum*; *Matth., XX, 18: Filius hominis tradetur Principibus sacerdotum et condemnabunt eum*. Judas cum illis pactum iniit de mercede venditionis et traditionis ipsius per eum faciendæ, *Matth., XXVI, 14: Tunc abiit unus de duodecim ad Principes sacerdotum, et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam?* At illi constituerunt ei triginta argenteos. Lictores ab iisdem ad eum capiendum missi fuerunt, *Matth., XXVI, 47: Missi a Principibus sacerdotum cum gladiis et fustibus*; ipsi ad eum condemnandum falsos testes mirornarunt, *Matth., XXVI, 59: Principes sacerdotum quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent*. Quando Pilatus inclinationem, qua ad Christum a mortis sententia liberandum propendebat, insinuare volens, Judæis Christum inter et Barabam optionem indulsit, *Marc., XV, 14: Pontifex concitaverunt turban, ut auget Barabam dimitteret eis*. In cruce denique positum, *Luc., XXIII, 35: Deridebant eum Principes sacerdotum*. Ex quibus omnibus satis liquet, jure merito credi posse solos divites, potentis et primates populi adversus ipsum murmurasse, male de eo fuisse locutos.

5. — S. Augustinus hoc loco optime considerat, hæc eadem murmuratione omnes servos Dei etiamnum infestari: « De omnibus servis ejus hoc dicitur modo; quicumque enim eminerit in aliqua gratia spirituali, profecto alii dicunt, bonus est, alii non. Unde hoc? *Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Colos., III, 3.* » Ad quod explanandum congruam arboris adducit similitudinem,

qua hyberno quidem tempore frondibus spoliata, arida et exsuccida, imo mortua esse videtur, cum tamen cum vere inchoante gemmare conspiciatur, viva esse ab omnibus agnoscitur: « Similis est aridæ et quamdiu hyems est, non apparet, aestas « probat, iudicium probat; aestas nostra revelatio « Christi est. »

6. — Beda dixit: « Hoc patitur corpus Christi « usque ad finem seculi a mundi amatoribus, quod « tunc passus est a Judæorum murmuratoribus. »

VERSUS 13.

Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum.

1. — Lyranus per hosce Judæos, non tam Judæos in genere quam illos, qui ex tribu Juda descendebant, intelligendos esse existimat: « Scilicet illorum « de tribu Juda; licet enim omnes de populo nominarentur Judæi, tamen specialiter modo sic nominantur illi de tribu Juda; et isti quibus movebantur contra Christum, eo quod in Scripturis Christus « erat promissus de tribu eorum, ipsi autem repubabant ipsum Galilæum, et ab eis extraneum; « propter quod et sacerdotes etiam repudiabant « eum. »

2. — Nonnulli quidem eorum, qui clariorem Filii Dei notitiam habebant, ipsi tanquam vero Messie acclamaturi, eumque apertis in veneratione habitari fuissent, ab eo tamen per Principum synagogæ coercerantur timorem: « Quia turbæ « comprimebantur, » inquit S. Thomas, « propter « metum Principum sacerdotum, quia ut dicitur, « *Joan., IX, 2: Si quis confiteretur ipsum esse Christum, extra synagogam, etc.* Ex quo patet eorum, « qui principabantur, malitia, qua Christo insidiabantur, ut eorum qui subjiciantur, scilicet plebis, « quia non habebant libertatem dicendi quod sen-

FERIA QUARTA PASSIONIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. X, VERS. 22

22. Facta sunt encenia in Jerosolymis, et hyems erat.
 23. Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis.
 24. Circumderunt ergo eum Judæi, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.
 25. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis.
 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.
 27. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me.
 28. Et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quispiam de manu mea.